

Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, ^a turbabantur nationes, plerisque Romanum, alijs regium imperium cupientibus. & prouinciæ Syria atque Iudæa ^b fessæ oneribus diminutionem tributi orabant. Igitur hæc, & de Armenia quæ supra memorauimus, apud patres differuit, nec posse motum Orientem ^c nisi Germanici sapientia componi. Nam suam ^d ætatem vergere, Drusi nondum satis adoleuisse. Tunc decreto patrum permissæ Germanico prouinciæ, quæ mari diuiduntur; ^e maiusque imperium quoquò adisset, quàm his qui ^f sorte, aut missu principis obtinerent. Sed Tyberius ^g demouerat Syria Creticum Sillanum per adfinitatē connexum Germanico, quia Sillani filia Neroni [vetustissimo liberorum eius] pacta erat; præfeceratque Gn. Pisonē ^h ingenio violentum, & obsequij ignarum, infesta ferocia ⁱ à patre Pifone, qui ciuili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio aduersus Cæsarem iuuuit, mox Brutum & Cassium

OBSERVATIONES.

a Nulla maior calamitas prouinciis accidere potest, quàm si suis principibus planè orbantur, satis enim constat fore, ut mirum in modum tam internis, quàm externis malis vexentur.

b Non est nouum prouincias oneribus fessis, diminutionem tributi à principe petere.

c Ad longinquas prouincias subitis percussis, turbataeque casibus componendis à principe mittendus est is, qui multa, magnaque sapientie documenta prius dedit.

d Magnis rebus gerendis, summis que imperijs administrandis non omnis ætas conuenit: neque enim illa quæ iam vergit, aut illa, quæ nondum adulta est, sed florens tanto oneri par est.

e Non omnium, quibus prouinciæ permittuntur, una eademque ratio est. Siquidem alij maius, alij minus, prout res postulat, imperium à principe accipiunt.

f Veteri reip. more consulares, aut pratorij prouincias sortiebantur, per paucis exceptis, quibus prouinciæ extra ordinem dabantur, cuius rei exempla frequentissima sunt apud Liuium, & alios, at posteaquam Resp. à principibus oppressa est, fere missu principis, aut decreto patrum, perspecta prius inclinatione, & voluntate ipsius principis, prouinciæ obtinebantur.

g Cum princeps necessitate aliqua ad ductus maximas, & fructuosissimas prouincias alicui, qui sibi suspectus est mādatur, si quis fortè ex eis, qui in illa cum imperio sunt, huic fauet, hunc prius aliqua specie inde dimoueat, ne Verique cōiunctis animis aliquid in principem machinentur: & in eius locum sufficiat aliquem ferocem hominem, & obsequij ignarum, cuique non bene conueniat cum illo, cui tota prouinciæ commissa est, horum enim voluntates cum non coalescere possint, omni se princeps suspitione, & periculo pariter liberat, nam siquid is, quem metuit, fortè moliri occipiet, ab hoc, qui velut infensus singula illius & dicta, & facta diligenter obseruat, omnes illius conatus, aut palam fieri, aut etiam impediri, & infringi continuo poterunt.

h Quemadmodum amici principum imprimis debent nosse ingenium principis, ita quoque principis est, nosse ingenia illorum, quorum obsequio, & ministerijs ad maximas quæque res utitur; ut his pro ratione rerum, locorum, ac temporum uti rectè possit, nam cui pater familias singula, etiam quæ vilia atque adeò superuacua videntur, ad omnem, scilicet, usum reponit; ita tempora persepe incidunt, quibus cautus princeps omnium opera necessariò uti debet, nunc, scilicet, miti, mox feroci, aliquando liberali, nonnunquam parco homine ad ea, quæ agere instituit, opus est.

i Non solum rei familiaris, verum etiam ingenij persepe à parentibus ad liberos, & posteros peruenit hereditas, non igitur mirum est, ut supra obseruari, ex patre feroci filium quoque pari ferocia nasci.